



# ORATIO.

**D**OCTORI DAVIDI LOBECHIO, Theologo eximio, Viro longè optimo, ex vitæ hujus miserrimæ ergastulo, & coetu nostro, ad cœlestis Academiae societatem nuper evocato, triste parentationis officium præstiturus; non necesse arbitror, Magnifice domine Rector, Viri Reverendi, Consultissimi, Clarissimi, studiosi adolescentes ornatissimi, ut pluribus me vobis insinuem, aut causas instituti hujus mei recenseam prolixius. Si enim quisquam alius æternâ dignus est memoriâ, si cujusquam virtutes orationem merentur splendendam & ornatam, certè LOBECHIUS noster is est meritò: cujus vita plena fuit præclarissimis exemplis Pietatis in DEUM; Dilectionis in proximum; Humanitatis in omnes; Fidei & Assiduitatis in officio suo; sinceritatis in doctrina cœlesti propaganda; excellentis denique eruditionis, prudentiæ, studij tranquillitatis & Concordiæ, & illarum ad eò virtutum, de quibus, quod de Carthagine olim scripsit Salustius, fortè melius esset nihil, quàm parum dicere. At cum pietatis DEO, & charitatis proximo debitæ non postrema pars sit, viros magnos non tantum vivos colere & amare, sed mortuos quoque debito luctu & laudibus prosequi: ego unus è multis has in me dicendi partes lubens quidem suscipere volui, non quod mea oratio, quam sentio nimis aridam & jejunam esse, tanti viri laudes æquare possit; sed ut partim meum erga defunctum præceptorem, collegam & amicum desideratis-

deratis-